

inter privatos quoque homines non omnis injuria pacis studio missitanda est, sed apud magistratum legitima eu-  
tela legitimo modo querenda. Hoc est quod Apostolus  
 vult, Rom. 12. v. 18. εἰ δυνατὸν, τὸ ἐξ ὑμῶν μετὰ πάντων αὐ-  
 θράπων εἰρηνεύετε: id est, Si fieri potest, quantum in vobis  
 est, cum omnibus hominibus in pace vivite. Apostolus  
 loquitur εξ ὑποθέσεως, videlicet, si fieri potest.

ΕΓΓΕΝΕΙΑ ΕΠΙΦΕΡΟΥΣΑ ΕΠΙΦΕΡΟΥΣΑ ΕΠΙΦΕΡΟΥΣΑ ΕΠΙΦΕΡΟΥΣΑ

### Cap. XVIII. De Civilitate.

**V**irtus conversationis in gestu est duplex:  
 Civilitas & Gravitas.

**S C H O L.** Ut Mansuetudo & Concordia sunt in affe-  
 ctu; ita Civilitas & Gravitas sunt in gestu.

**2** Civilitas est virtus externum corporis ha-  
 bitum, gestum, & motum ad decoram elegantiam componens.

**S C H O L.** Dicitur etiam Urbanitas, voce latius ac-  
 ceptâ, quia in urbibus inter cives magis observatur ele-  
 gantia & concinnitas in externis moribus, quam in pagis  
 inter rusticos. Sunt autem hujus virtutis officia præcipue  
 quatuor: **1.** Mundicies corporis, & omnium membro-  
 rum. **2.** Ornatus corporis & vestimentorum, cuiusque  
**3** conditioni conveniens. **3.** Decens compositio externa-  
 rum actionum, videlicet incessus, vocis, risus, item in cibo &  
 potu, &c. **4.** Decentia in honoribus justis prodignitate  
 aliis deferendis. Et sanè ejusmodi gestus tempestivè u-  
 surpati apud bonos viros non parum gratiae merentur.

**3** Civilitati in excessu opponitur nimia affe-  
 ctatio civilitatis, quâ quis nimiam elegantiam  
 & culturam adhibet.

**S C H O L.** Græcè hoc vitium à quibusdam ὑπερηγμα-  
 ψιαι dicitur, ut videre est apud Timplerum, Nihil ferè est,  
 quod

Civilitatis  
officia q. i.